



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Quòd laicus in Ecclesia lectionem recitare non debeat. lxxxvii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**



*De mulieribus virorum causas discutientibus.*

Caput LXXXV.

**Q**UAM Apostolus dicat: Mulieres in Ecclesia taceat: non enim permittitur eis loqui. turpe est enim mulieri in Ecclesia loqui: mirū videtur, quod quædam mulierculæ contra diuinas, humanasq; leges, attrita fronte impudenter agentes, placita generalia, & publicos conuentus indefinenter adeunt, & negocia regni vtilitatesq; reipublicæ magis perturbant, quàm disponant, cū indecens sit, & etiam inter barbaras gentes reprehensibile. mulieres virorum causas discutere, & quæ de lanificiis suis, & operibus textrilibus, & muliebribus inter genitias suas residentes debuerant disputare, in conuentu publico. ac si in curia residentes, senatoriã sibi vsurpant auctoritatē. Quæ ignominiosa præsumptio fautoribus magis imputanda videtur, quàm fœminis. Vnde quia diuinæ leges, vt supra monstratum est, hoc contradicunt, & humana nihilominus id ipsum prohibet, vt fœminæ nihil aliud prosequantur in publico, quàm suam causam. Ait enim lex Theodosiana: Nulla ratione fœminæ amplius, quàm suas causas agendi habeant potestatem, nec alicuius causam à se nouerint prosequendam: idcirco ex auctoritate canonica interdiximus, vt nulla sanctimonialis virgo, vel vidua conuentus generales, adeat, nisi à principe fuerit euocata, aut ab episcopo suo: nisi fortè, propriæ necessitatis ratio impulerit, & hoc ipsum cū licentia & nuncio episcopi sui.

*Quod abbas pro humilatione locum suum relinquere possit.* Cap. LXXXVI.

**A**BBAS potest pro humilatione, & cū permissione episcopi locum suum relinquere: tamen fratres eligant sibi abbatem de ipsis si habeant, sin autè de extraneis. Nec episcopus debet abbatem violenter retinere in loco suo. Congregatio debet eligere sibi abbatem post mortem abbatis sui, vel eo viuente, si ipse discesserit, vel peccauerit. Ipse enim nō potest aliquem ordinare de suis propinquis vel amicis, sine voluntate fratrum.

*Quod laicus in Ecclesia lectionem recitare non debeat.* Cap. LXXXVII.

**L**AICUS nō debet in Ecclesia lectionē recitare, nec alleluia dicere, nisi Psalmos tm̄ & respōsoria sine alleluia.